

VERSION LATINE

L'influence de la divination sur les hommes

Quis uero non uidet in optuma quaque re publica plurimum auspicia et reliqua diuinandi genera ualuisse ? Quis rex umquam fuit, quis populus, qui non uteretur praedictione diuina ? Neque solum in pace, sed in bello multo etiam magis, quo maius erat certamen et discrimen salutis. Omitto nostros, qui nihil in bello sine extis agunt, nihil sine auspiciis domi ; externa uideamus. Namque et Athenienses omnibus semper publicis consiliis diuinos quosdam sacerdotes, quos μάντεις¹ uocant, adhibuerunt, et Lacedaemonii regibus suis augurem adssessorem dederunt, itemque senibus (sic enim consilium publicum appellant) augurem interesse uoluerunt, iidemque de rebus maioribus semper aut Delphis oraculum aut ab Hammone aut a Dodona petebant. Lycurgus quidem, qui Lacedaemoniorum rem publicam temperauit, leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirmauit ; quas cum uellet Lysander commutare, eadem est prohibitus religione. Atque etiam qui praeerant Lacedaemoniis, non contenti uigilantibus curis, in Pasiphaea fano, quod est in agro propter urbem, somniandi causa excubabant, quia uera quietis oracula ducebant. Ad nostra iam redeo. Quotiens senatus decemuiros ad libros ire iussit ! Quantis in rebus quamque saepe responsis haruspicum paruit ! Nam et cum duo uisi soles essent, et cum tres lunae, et cum faces, et cum sol nocte uisus esset, et cum e caelo fremitus auditus, et cum caelum discessisse uisum esset atque in eo animaduersi globi.

CICÉRON, *De la divination*

¹ Mot grec, ici à l'accusatif masculin pluriel, qui signifie « devin ». Dans la traduction, on écrira : « mάnteis [devins] ».